



## PAENITENTIARIA APOSTOLICA

Prot. N. 1220/21/I

B E A T I S S I M E   P A T E R ,

MARCUS MENDYK, Episcopus Suidniciensis, reverenter petit plenariam Indulgentiam, quae etiam animabus fidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicari possit, suetis sub condicionibus (nempe Sacramentali Confessione, Eucharistica Communione et Oratione ad mentem Sanctitatis Tuae) lucrandam christifidelibus qui, animo quidem omnino elongato ab affectu erga quodcumque peccatum, quodlibet ex 234 templis non paroecialibus, in elenco enumeratis ad Apostolicam Paenitentiariam die 7 mensis Octobris 2021 transmisso, diebus festis titularibus in forma peregrinationis inviserint et ibi cui sacro ritui religiose interfuerint, vel saltem per congruum temporis spatium piis vacaverint considerationibus, concludendis Oratione Dominica, Symbolo Fidei invocationibusque Beatae Mariae Virginis.

Et Deus, etc.

Die 4 Novembris 2021

PAENITENTIARIA APOSTOLICA, de mandato Summi Pontificis, libenter annuit pro gratia iuxta preces.

Senes, infirmi omnesque qui gravi causa domo exire nequeunt, pariter *plenariam* consequi poterunt *Indulgentiam*, concepta detestatione cuiusque peccati et intentione praestandi, ubi primum licuerit, tres consuetas condiciones, si iis qui pias agent peregrinationes se spiritualiter adiunixerint, precibus doloribusque suis vel incommodis propriae vitae misericordi Deo oblatis.

Quo igitur accessus, ad divinam veniam per Ecclesiae claves consequendam, facilior pro pastorali caritate evadat, haec Paenitentiaria enixe rogat ut sacerdotes opportunis facultatibus ad confessiones excipiendo praediti, prompto et generoso animo celebrationi Paenitentiae sese praebeant.

Praesenti *ad septennium* valituro. Contrariis quibuslibet non obstantibus.

*Maurus Card. Piacenza*  
MAURUS CARD. PIACENZA  
*Paenitentiarius Maior*

*Christophorus Nykiel*  
CHRISTOPHORUS NYKIEL  
*Regens*